



5)
Herrn v. Sapl.
26. Juli 1899.

Ex libris

Hunnü, Arnstadt.

(Führung.)

1884.



10

DE

ILLVSTRI

TRANSITV
FEBRIVM BENIGNARVM
IN MALIGNAS
PRAESERTIM IN FRISIA ORIENTALI

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV
IN REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

DOMINO

D. PHILIPPO ADOLPHO BOEHMERO

MED. ANAT. ET CHIRVRG. P. P. ORDINAR.
FACVLTATIS MEDICAE H. T. DECANO SPECTATISSIMO, ACADEM. CAESAR. NAT.
CVRIOS. ITEMQVE IMPERIAL. PETROPOL. NEC NON BEROL. SCIENT. ET PARIS.
CHIRVRGOR. SODALI,

PRO

GRADV DOCTORIS

SOLLEMNITER CONSEQVENDO

DIE XXIII OCTOBRIS MDCCCLXIV.

H. L. Q. S.

PVBLCIE DISPVTABIT

AVCTOR

NICOLAVS HERMANNVS ESCHERHAVSEN

FRISO-ORIENTALIS.

HALAE AD SALAM AERE BEYERIANO.

OTTA TRANNISTV
FEBRIVM BENIGNARVM
IN MALLINAS
PRAESERTIM IN FRISIA ORIENTALI

GRATIA MEMORVM ORDINIS GONZALVI

IN REGIA FRIDERICIANA

VNO LEVSTRI EXCELLENSSIMO ET EXCELLENSSIMO

DOMINO

D. PHILIPPO ADOLPHO BOHEMERO

MED. ANAT. ET CHIRURG. P. B. GRADUAT.

ACADEMIAE MEDICAE ET CHIRURGICAE BRESLAVIENSIS
CUM FACULTATE MEDICAE ET CHIRURGICAE
CUM FACULTATE ANATOMICA ET CHIRURGICA
CUM FACULTATE OBSTETRICAE ET GYNAECOLOGICAE

GRADUUS DOCTORIS

ACADEMIAE MEDICAE ET CHIRURGICAE BRESLAVIENSIS

DIE XXIII OCTOBRIIS MDCCCXXXIII

PUBLICE DISPUTAVIT

NICOLAUS HERMANNVS ESCHERHANSSEN

PHYSICVS ET ANATOMVS



V I R O

ILLVSTRI. EXCELLENTISSIMO. EXPERIENTISSIMO
AMPLISSIMO. DOCTISSIMO. QVE

DOMINO

D. PHILIPPO. ADOLPHO
BOEHMERO

MEDICINAE. ANATOMIAE. ET. CHIRVRGIAE
PROFESSORI. PVBLICO. ORDINARIO

FACVLTATIS. MEDICAE. H. T. DECANO. SPECTATISSIMO
ACADEMIARVM. IMPERIALIS. NATVR. CVRIOSORVM
IMPERIALIS. PETROPOLITANAE

NEC. NON

REGIAE. BEROLINENSIS. ET. PARISIN. CHIRVRGORVM
SODALI

PATRONO. FAVTORI. HOSPITI. SVO

AETERNVM. DEVENERANDO

P R A E C E P T O R I

OMNI. PIETATIS. CVLTV. NVMQVAM. NON
PROSEQVENDO.



NEC. NON

V I R O

EXCELLENTISSIMO. EXPERIENTISSIMO
AMPLISSIMO. DOCTISSIMO. QVE

DOMINO

ADAMO. NIETZKI

MEDICINAE. DOCTORI

PRACTICO. APVD. HALENSES. FELICISSIMO

FAMIGERATISSIMO

PATRONO. FAVTORI. ATQVE. PRAECEPTORI. SVO

OMNI. QVA. PAR. EST. OBSERVANTIA

SVSPICIENDO.



NEQVE. MINVS

V I R O

SVMME. VENERANDO. AMPLISSIMO
ET. DOCTISSIMO

D O M I N O

ANTONIO. HENRICO
ESHERHAVSEN

VERBI. DIVINI. MINISTRO. VIGILANTISSIMO
ATQVE. MERITISSIMO

P A T R I O P T I M O

FILIALI. AMORE. AETERNVM

COLENDO.



LEVIDENSEM. HANC
SCRIPTIONEM. ACADEMICAM
REVERENTIAE. OBSERVANTIAE
ET
PIETATIS. SVAE
ERGA
OPTIMUM. TRIMUMVIRATUM
EXSTET
MONUMENTUM
SACRAM. ESSE. IVBET

NICOLAUS. HERMANNUS. ESCHERHAVSEN

FRISO-ORIENTALIS.



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE
TRANSITV
FEBRIVM BENIGNARVM
IN MALIGNAS
PRAESERTIM IN FRISIA ORIENTALI.

PROOEMIUM.

Quamquam causae, benignam febrium indolem in malignam commutantes, eleganti multorum Virorum stilo conscriptae existant: spero tamen, fore, ut, dum praesens conor specimen elaborare, haud inutilem me laborem suscepisse, aequi huius rei arbitrentur censores. Causae equidem morborum, horumque idcirco commutationum, generatim consideratae, eadem sunt semperque sibi similes; non poterit tamen ideo negari, easdem pro temperamentorum, regionum, aetatis, sexus, consuetudinis, vitae generis etc. diuersitate, augeri, minui, crescere, de rescere, siue illarum magnitudinem, siue copiam concurrentium, siue demum frequentiam earundem respicias. Profecto! uti Naturae humanae actiones, a statibus illius viribus pendentes, in quocumque subiecto eadem sunt, si generales, quibus in agendo obtemperat natura humana, attendis leges; maxime vero a se discrepantes conspiciuntur, si, quas regio, temperamentum, idiosyncrasia etc. adiecit, consideras legum dissidentes rationes: ita dubium non est, quin causae morborum, corporis constitutioni & naturae alias adeo accommodatae, ex eodem

dem fundamento hanc, quam dixi, inter se inuicem alant foueantque diuersitatem. Quae cum ita sint, quilibet facile cognoscet, non leuem caussarum morbi huiusque commutationum a regionum, quas incolunt homines, diuersitate oriri discrepantiam. Si consideraueris, regiones mutare aëris constitutionem, consuetudinem, vitae genus, hinc temperamenta quoque; si perpendas, quod modo docui, morborum illorumque commutationum caussas pro harum rerum varietate differre: concedes facile, sat grauem satque notabilem dictarum caussarum discrepantiam a regionum induci diuersitate. Neque credendum erit, hanc a Medico iure fusque deque haberi posse. Quodsi enim, vti recte notat CELSVS, *caussae aestimatio saepe morbum soluat*: hanc attendere, diiudicare, ponderare Medicum oportet. Quis vero est, qui non perspiciat, caussas rite inter alia aestimari non posse, nisi earundem cognita habeatur diuersitas? Quis curationem morborum, finem Medicinae, sine cognitione huius diuersitatis, rite consequetur? Constat itaque, vtile esse, si Medicus eo adnitatur, vt, quas regio suppeditat in morborum horumque commutationum caussis, diuersitates, cognoscat & rationi conuenienter euoluat. Operae ideo pretium me facturum esse censui, si caussas enodarem, quibus fit, vt benignae febres adeo frequenter in Frisia Orientali, patria mea, in malignas transeant. Comparebunt facile, si prius de caussis, hunc transitum determinantibus, generatim, quantum e re, dictum fuerit.

SECTION I.



99

SECTIO I.

SISTENS

CAVSSAS, FEBRES BENIGNAS IN MALIGNAS
COMMVTANTES, GENERATIM CONSIDERATAS.

§. I.

Febris benignae & malignae definitio.

Quum Pathologia praecipiat, febris causam in quocunque fortiori, cordi adplicato, stimulo sitam esse: eius causa vel in putredine, quam humorum contraxit massa, vel in alia causa irritante posita erit. Febris, cuius causa putrefactio humorum est, mihi hic dicitur *maligna*; febris vero, cuius causa sese contraria habet ratione, nuncupabitur *benigna*. Observatio docet, has definitiones multorum Medicorum vsui loquendi adprime respondere.

§. II.

Quare istae febres benignae malignaeue vocentur?

Solent Medici, in explicandis malignitatis & benignitatis vocibus, ad aegritudines corporis humani relatis, quam maxime a se inuicem recedere, vt graues inde videas inter eos dissensus nonnumquam oriri. Alii enim morbum malignum vocant morbum, ex putredine ortum; alii periculofum; alii insolitis symptomatibus stipatum; alii refractarium; alii denique mitem, ex improviso vero lethalem periculofumque factum. Benignitatis vox, malignati opposita, hinc, quoad significatus suos, quos adpta est, pater & cognoscitur. Poterunt tamen hi significatus quodammodo coniungi. Morbi enim, quos putrida, per humores disseminata, induxit labes, periculosi sunt; insolitis symptomatibus stipantur; omnem

B

faepe

saepe renouunt curationem, atque, corpori insidias struentes, a miti quasi & humili principio exsurgentes, tantum ex improviso frequenter adipiscuntur cacumen, vt, labefactatis depressisque aegroti viribus, hunc prosternant eiusque vitam sufflamment. Historiae sane medicae tristes eiusmodi casus satis suppeditant. In plurimis morbis, a putredine non oriundis, contraria fere ratio adparet. Illi itaque ideo *maligni*, hi vero *benigni* vocari possunt. Quae, si adplicentur ad febres, explicant definitiones §§. anteced. suppeditatas.

§. III.

Fontes caussarum, febres benignas in malignas commutantium.

Quodsi transitus febris benignae in malignam cogitetur: duo tantum cogitantur. Febris nimirum benigna & respectus rerum externarum internarumque ad aegrum. Praeter haec nil poterit hic repraesentari. Quare etiam caussae, febrem benignam in malignam commutantes, duplicis erunt speciei. *Vel* enim profluent ex natura febris; *vel* orientur ab externis internisque, in corpus aegrum suam exercentibus actionem. Haec summa erit caussarum, de quibus nunc loquar.

§. IV.

Genium febris, caussa malignitatis in febribus.

Febris, consideratae vt ad, quod malignitatis febrium potest causam suppeditare (§. anteced.), triplici iterum respectu ratio haberi potest. *Vel* enim illius genium, *vel* effectus, *vel* denique caussae respiciuntur. Ad omnia haec, modo indigitata, attendere nos oportet. Ordiamur a natura genioque febris. Febris, sibi relicta spectata, vindicat sibi restrictionem sanguinis a peripheria ad interiora, hinc plethoram ad spatium, & intensum inde redditum sanguinis circuitum. Consideres nunc, oriri hinc agitationem sanguinis nimiam, calorem ingentem, adfrictum

De transitu februm benignarum in malignas praesertim in &c. II

Etum globulorum cum parietibus vasorum, resolutionem olei & salis in massa sanguinea; perpende dein, haec omnia, docente id Pathologia, putredini generandae inferuire: nec dubitabis etiam, concedere, febrem benignam ita sua natura esse comparatam, vt sponte putredinem massae sanguineae inferre queat. Poterit itaque hac ratione febris, per se benigna, in malignam abire (§. I. & anteced.). Erit ergo vera huius transitus causa.

§. V. *Causa febris, vt causa malignitatis consideratur.*

Verum causa quoque febris benignae, generatim spectata, poterit omnino vt causa concipi, quae transitum febris benignae in malignam efficit, faciliat (§. anteced.). Haec enim, vt §. I. iam monui, recte ponitur in irritamenti, cordi adplicati, praesentia. Ab eiusmodi enim irritamento, fortius agente, febrim produci posse, vel ipsa suadet experientia, dum febres a plethora commota, ab inflammatione, ab errore loci particularum biliosarum &c. ortas ostendit. Sed actio huius irritamenti consistit in eo, vt vis muscularis, quae *irritabilitas* alias vocatur, ad fortiorem actionem exciteretur. Corde vero, hinc & arteriis fortius agentibus, non poterunt non motus, calor sanguinis, & qui hinc pendent, effectus intendi & exacerbari, quorsum etiam putredo massae sanguineae iure reduci debet (§. IV.). Quare dubium non est, quin etiam causa febris benignae, generatim pensitata, causa existere possit, quae transitum febris benignae in malignam prouocat. Vnde etiam fit, vt prior huius transitus causa, quae a febre enascitur (§. anteced.), hinc debeat maius capere augmentum.

§. VI. *Symptomata febris, vt malignitatis in iisdem causis.*

Restant adhuc symptomata febris in generaliore februm, vt malignitatis causarum, consideratione (§. III.). Qui vero considerat a fri-

gore febrili, hocque excipiente motu cordis & arteriarum intensiore oriri symptomata & effectus, quos §. IV. recensuit, quosque causas putredinis in febribus alias benignis existere ostendimus l. c.; qui porro pendit, a frigore febrili transpirationem supprimi, qua excretionem natura humani corporis vitur, vt acrimoniae & putredinis ortum praepediat (per Physiolog.), qua ergo languescente aut plane suppressa non poterit non dispositio sanguinis, ad concipiendam putredinem iam proni, augeri, quamuis hic effectus ob copiosorem a febre excretionem quodam modo iterum tollatur; qui praeterea rite expendit, motum sanguinis intestinum hinc increfcere, quo fit, vt, ob naturam sanguinis, maxime ad putredinem proclius, putredo facile concipiatur; qui dein cogitat, aequabilem sic massae sanguineae mixtionem facile laedi, quae iterum a Physiologis iure refertur ad eas causas, quae acrimoniae hinc & putredinis actionem impedit; qui etiam ad stagnationes respicit, quas febris adeo facile producit, vnde noua iterum nociui motus intestini, cui sanguis exponitur, suboritur causa; qui tandem enormis excretionis, a febre saepe comparentis, rationem habet, vnde debilitas, stagnationes, destructiones causarum, sales sanguinis diluentium, proficiscuntur, foecundae putredinis genitrices: non poterit certe is dubitare, quin symptomata & effectus febris ortui putredinis ansam praebere queant, hinc quoque ortum febris malignae ex praegressa benigna adiuuent eique faueant (§. I.).

§. VII.

Febres speciatim pensitantur. Febres intermittentes.

Verum relinquamus generaliora haec & ad specialiora descendamus. Quamuis enim febres in iis, quae §. IV. V. & VI. prolata sunt, conueniant: poterunt tamen, ob priuatam febrium a se inuicem, respectu causae, symptomatum & genii, diuersitatem, citius, tardiusue, plus, minusue eiusmodi transitus causam suppeditare, vt ideo recte ad hanc rem animum nostrum conuertamus. A simplicibus febribus & ab intermit-

tentibus

De transitu februm benignarum in malignas praesertim in Sc. 13

tentibus ortum sermonis ducamus. Februm intermittentium causa, licet cum generali causa (§. I.) conspiret, ab aliarum februm causa satis tamen est diuersa. Februm scilicet intermittentium causa vel in acri, spissa & tenaci materia consistit, in ventriculo & intestinis atque visceribus abdominalibus haerente, stagnante, obstruente; vel a singulari nervorum affectione, ab animi pathematibus inducta, proficiscitur, cum observatio doceat, terrorem saepe febres determinasse intermittentes, in quarum curatione corrigentia & euacuantia in cassum, nervos contra ea sapientia cum fructu adhibita sunt. Quod hanc ultimam februm intermittentium causam attinet: nil, quod hic de eadem monendum esset, habeo. Eo vero magis prior, tamquam frequentissima, respici debet. Quodsi febris scilicet intermittens talem agnoscat causam: tunc 1. primae viae, ut debiles, sunt concipiendae. 2. Chylus malam impetrat mixtionem, ad putridam etiam corruptionem pronam. 3. Viscera, sanguificationem peragentia, munere suo rite fungi nequeunt. 4. Sanguis ad stagnationem satis est redditurque proclivis. Hinc autem multae oriuntur putredinis causae. Robur ventriculi & intestinorum, conueniens chyli mixtio, sanguificatio, aequabilis sanguinis chylique commixtio, motus sanguinis determinatus maxime notabiles sunt causae, quibus acrimonia in corpore eiusque effectus praepediuntur. Nonne, horum contrariis contingentibus, facilis erit in blandis alias fluidis acrimonia? Hinc putredo quoque. Confer vero cum his adductam februm intermittentium causam: & patebit, omnia tolli (per ant.). Quare etiam dubium non est, quin, si hanc februm intermittentium causam respicias, febres intermittentes, alias benignas, facile in malignas abire. Praeterea notandum hic erit, febres intermittentes ita esse comparatas, ut frigus & calor non solum grauius, sed etiam diutius perseuerent, atque ut excretionem serosae validius a febre intendantur. Vnde concludendum, effectum horum omnium, quem indigitauimus (§§. IV. VI.), eo facilius ad actum deduci.

Dissertatio inauguralis medica

§. VIII.

Febres inflammatoriae.

Febres inflammatoriae, ortae vel ab obstructione vaforum aut sanguiferorum, aut serosorum, a sanguine facta, vel ab enormi sanguinis in cellulofam effusione, adiuncto simul ingenti sanguinis versus locum, ita a sanguine turgidum redditum (per Pathol.), motu, supponunt motum sanguinis, maxime intensum, calorem massae sanguineae naturali longe maiorem, sanguinem ad stagnationem valde procliuem, qui diathesis inflammatoriae aut phlogisticae existit effectus, affricum sanguinis cum vaforum lateribus enormem aliaque, quae ex his oriuntur. Compara cum his, quae §§. IV. VI. euicta sunt: constabit, febribus inflammatoriis, utpote a se benignis, id facile accidere posse, ut in febres vere malignas, commutentur & transeant. Quod etiam observatio saepe docuit.

§. IX.

Febris biliosa.

Quando bilis, & copia & acrimonia insignis, vno quasi impetu ad sanguinem errore loci deferitur: oritur tunc cordi arteriisque nimis magnus stimulus, quem, vi irritabili harum partium ideo fortius agente, excipit febris, ob causam *biliosa* a Pathologia dicta. Bilis, fluidum illud ad putredinem valde proclive, cuius etiam oleum rancorem quodammodo iam contraxit, cuius itaque actio, propter particulas putredini vicinas, oleosas corruptas, dispositionem ad putredinem auget in massa sanguinea, unde porro resolutio, calor valde auctus, nouae putredinis in sanguine causae, oriuntur, procul ideo dubio valde sollemnis febrium malignarum, ex benignis subnatarum, dicenda erit causa (§. I.). Virium, chylum subigentium & praeparantium, debilitas, necessaria bilis defectus sequela, hunc effectum auget, faciliat. Eo minus haec negari possunt, quo frequentius putredo a bile proficiscitur, aucta praecipue eius aut copia, aut acrimonia,

acrimonia, aut agitatione, aut stagnatione & mora in corpore, quae omnia hic occurrunt.

§. X.

Febris catarrhalis benigna.

Quae adeo benigna ratione incedit febris catarrhalis adeo facile in malignam transit, ut forte nil frequentius occurrat. Neceffe itaque esse videtur, ut inquiramus, quo quidem modo fiat, ut hoc compareat. Febris nimirum catarrhalis producitur a tenui acri, per massam sanguinis, serosam potissimum illius partem, disseminato, quod praecipue aut acris constitutio aëris, aut cito suppressa excretio cutanea induxit; ideo fit, ut sanguis onere suo, largiore facta in locis mucosis, naribus, faucibus, pulmonibus, mucii secretionem sese liberare studeat, quam vero cum tam ob copiam, quam ob mucii cacochymiam proportionata nequeat excretio excipere, catarrhales ideo iunguntur febrili affectiones, quae huic febrili catarrhalis nomen imposuerunt. Quae cum ita sint; ratio mutatae febris catarrhalis in malignam facile nunc constat. Considerari hic debet, corpus humanum & sanguinem contra acrimoniam, hinc putredinem quoque, sanguini adeo sollemnem, defendi mucos, oleo, aqua & excretionibus serosis. Mucus & oleum obuoluendo agunt, aqua diluendo, excretiones quantitatem contracti acris imminuendo, hinc efficiendo, ut oleum, mucus & aqua eo facilius acre adhuc remanens obuoluant & diluant. Fac nunc, oleum & mucum resolui, aquae blanditiem destrui, excretiones serosas copiae acris, quod sanguis concepit, non esse proportionatas: fiet tunc, ut causae, quae acrimoniam & putredinem impediunt, languescant & debilius, quam fas est, agant. Facilis ergo tunc erit putredinis in massa sanguinis ortus. Nunc vero illa omnia sub benigna febre catarrhali contingunt (per anteced.) ob acre, quod sanguini est copiosius illatum; accedunt causae putredinis generales (§§. IV. V. VI.); accedunt excretio-

nes

nes ferociae suppressae, humorem ad putredinem procliuem naturaliter eicientes, & acris aër, per se saepe putredinem inducens (per ant.). Vnde fatis constare arbitror, febrem catarrhalem benignam non solum causam malignae in se continere (§. I.), verum transitum illius in hanc frequentem esse debere.

§. XI.

Febris lenta & hectica.

Febris lenta & hectica nascitur modo a diuturna viscerum, sanguificationi inseruiendum, adfectione, qua nobilis ista corporis humani laeditur & destruitur functio, modo ab ichorosa purulentaue materia, resorpta ad massam sanguinis. Verum sanguificatio, dum aequabilem & corpori maxime conuenientem producit sanguinis mixtionem, nequit omnino laedi, nisi causae acrimoniae, hinc putredinis quoque, subnascantur (§. X.); neque ichorosa, purulentaue materia ad sanguinis massam resorpta concipi poterit, nisi largiatur simul, materiem sic ad sanguinem ferri, quae motu & attritu putrida demum euadit atque causas, acrimoniam temperantes (§. anteced.), eneruat & destruit. Quam facile itaque ideo a febre lenta & hectica oriatur putrida sanguinis labes! Quanto facilius gliscens ille calor, qui corpus depascit, eandem inducit, dum vehementem innuit motum sanguinis intestinum! Potuit ergo febris lenta & hectica febrem malignam efficere (per anteced. & §. I.). Neque ideo mirandum erit, quod obseruatio frequenter docuerit, febrem malignam febris lentae & hecticae sese adiungere, quae tristem vitae aegri finem imponit.

§. XIII.

Febris continens.

Dum plethora commouetur: cordi nascitur grauior stimulus, qui efficit, vt febris inde nascatur, quam *continentem* nominare solent. Mo-

tus

De transitu februm benignarum in malignas praesertim in &c. 17

tus sanguinis calorque enormis, affricus sanguinis valde auctus &c, vt tribus omnia dicam, symptomata huius febris, symptomatibus febris inflammatoriae analogae, causae sunt, quibus fit, vt ex febre continente maligna oriri queat (§§. IV. V. VI. VIII.). Negari tamen non potest, rarius hoc fieri, cum febres continentes prudens curatio facile prosterнат.

§. XIV.

Aliae februm species.

Aliae adhuc, praeter enumeratas iam, supersunt februm species, quae hic considerationem merentur. Refero huc partim vere malignas, partim febres, quarum causa, licet nondum maligna sit, maxime tamen ad malignitatem inclinat, partim etiam eas, quae cum alia februm specie magnam conuenientiam habent; v.g. petechiales, purpuraceam rubram, neruofam. Quod vere malignas attinet: posset equidem videri, ac si huc referri nequeant. Verum perpendi debet, gradus dari februm malignarum, ita, vt vna altera sit malignior. Quodsi itaque benignior in maligniorem commutetur: increset tunc malignitatis causa, quae, cum in putredine sita sit (§§. I. II.), putredinis supponit augmentum. Hinc eiusmodi febres, quae vere malignae sunt, in tantum tamen huc referri debent, in quantum ope earundem praesens iam putredo magis augetur. Tunc enim transitus febris benignioris in maligniorem erit, vti transitus febris benignae in malignam. Ostendi ergo debet, febrem eiusmodi novum putredinis gradum inducere posse. Id vero ex natura putredinis patet. Etenim putredo noua semper capit augmenta. Quodsi hinc febris maligna iam adfuerit: fiet ideo, vt causa illius, sibi relicta, semper increseat. Poterit ergo ex vna februm malignarum specie alia grauior determinari. Quam egregie cum hac propositione consentit experientia! Quod illas porro attinet febres, quae a causa, nondum quidem maligna, sed ad putredinem valde procliu, enascitur: hae ob praesentem dispositi-

C onem,

onem, accedentibus febrium affectionibus (§§. IV. V. VI.), facile abeunt in febres vere malignas. Quod demum tertiam attinet febrium speciem: haec ex iis, quae in antecedentibus dicta sunt, facile diiudicari poterit, ut ergo non opus esse videatur, de eadem plura in medium afferre. De febre speciatim nervosa eiusque diuersitate a febres maligna putrida conferri meretur *Ioannes HUXHAMVS* in *Operib. Physico-Medicis* a *Clar. REICHEL* edit. Tom. II. pag. 75. seq. Cap. VI. vbi (pag. 76.) *nihilominus*, inquit, *alteram cum altera misceri posse saepiusque vere esse mixtam pro certo habeo*. Natura huius febris, egregie ab *HUXHAMO* descripta, ostendit, ex eadem febrem malignam vere suboriri posse, licet sibi oppositae esse videantur.

§. XV.

Febres compositae & complicatae.

Differui hactenus de febribus simplicibus. Ostendi, quamlibet febrem ita esse comparatam, ut in malignam abire, transire queat. Ut vero omnia hinc, quantum fieri potest, expleram; pauca quaedam adhuc de febribus compositis, & complicatis adiicienda erunt. Vis vnita fortius semper agit. Quum ergo, ut hactenus docui, simplices febrium species in malignam abire possint: dubium non est, quin febres compositae vel complicatae, utpote ex plurium simplicium febrium concursu ortae, in febres malignas aut maligniores (§. anteced.) transire queant. Sufficit generale nobis principium. In harum enim febrium consideratione ad specialiora descendere a proposito meo maxime esset alienum. Nil dicam de difficultatibus, quae circa hanc rem obuenire possunt.

§. XVI.

Alter malignitatis in febribus fons (§. III.) generatim consideratur.

Ergo febres, sibi etiam relictas, foecundae sunt, ut hactenus demonstravi, malignitatis in febribus genitrices. Verum enim vero aliud

fese

De transitu febrium benignarum in malignas praesertim in &c. 19

se se sinit agmen, priori longe terribilius, quod malignitati febrium fauet! Nimirum ea in aegro adhuc attendi debent, quae praeter febrem in aegro sunt accidentia (§. III.). Haec eo exactius perpendi debent, quo maius erit pondus, quod hinc Sect. II. adicietur. Non vnus vero eiusdemque sunt haec accidentia speciei. Reduci vero possunt ad sequentia, quam diuisionem in vltiori huius rei tractatione sequar. Nempe I. ad peculiarem, ad putredinem dispositionem. II. ad incongruum rerum nonnaturalium vsum. III. ad remediorum inconuenientem adhibitionem. Ad has species omnia illa accidentia, quae hic oboriri possunt, quantum ego quidem perspicio, commode reuocari queunt.

§. XVII.

Dispositio aegri ad putredinem.

Quodsi res quaedam, morbus, affectio &c. in corpore quodam a causa quadam ob corporis determinationem ita producitur, vt facilius inde enascatur, aut grauius producat, quam causa agens permittit: aderit tunc in isto corpore *ad hanc rem dispositio*. Dispositio ergo corporis ad putredinem sita erit in illa corporis determinatione, qua fit, vt alia putredinis causae accedens, hanc & facilius & grauius producat. Quoniam nunc §§. IV - XV. docui, febres putredinis causam in se continere: patet, quod, si dispositio ad putredinem in corpore praeter febrem adsit, facilius hinc putredo & maiori in gradu procreetur. Quodsi itaque ad febrem benignam haec ad putredinem dispositio accedat: dubium non est, quin ex febre benigna facile oriatur maligna, ideoque transitus febris benignae in malignam faciliteret grauiorque euadat (§. I.).

§. XVIII.

Dispositio haec (§. antec.) speciatim consideratur.

Innumera fere sunt, quae eiusmodi dispositioni fauent (§. antec.). Generalia ordine recensenda sunt. Spectant huc I. omnia ea, quae circulum

lum humorum valde intendunt. Nam hinc motus calorque nimium crescunt, quae in statu iam sanitatis, quamvis moderate agant, ad putredinem sanguinem disponunt. II. *omnia, quae resolvunt sanguinem nimis intense.* Augent enim salium & olei mutam actionem; destrunt causas obvolventes, diluentes (§. X.). III. *crasis humorum oleosa, alienis salibus inquinata.* Hinc calor, motus, resolutio intenduntur (n. I. II.). IV. *Defectus olei, aut mucii.* Haec enim obvolunt acrimoniam (§. X.). Facilius ergo ob eorundem defectum orietur. V. *Chyli defectus, putrida corruptio.* Deficiente enim chylo deficit causa obvolvens (n. IV.) & diluens (§. X.), explicantur ergo sales, unde calor, motus, resolutio nimium crescunt (n. I. II. III.). Chylus putridus ad sanguinem putridas vehit particulas, quae efficiunt, vt latius semper putredo serpat. VI. *Vires sanguificationis languentes.* Quum enim a sanguificatione chyli praeparatio, aequabilis sanguinis mixtio & combinatio pendeat, praecipiente id Physiologia: haec omnia, languida sanguificatione reddita, turbentur necesse est. Sales itaque chyli expliciti manent, causarum obvolventium, diluentium (§. X. & n. IV.) actio imminuitur. Unde facilis est putredinis ortus (n. I. II. III. IV.). VII. *Debilitas solidorum.* Laedit enim praeparationem sanguinis aliorumque fluidorum (§. VI.). VIII. *Putrida labes fluidorum secretorum, ad primas vias confluentium.* Hinc enim chylus putridus euadit (n. V.). IX. *Sanguinis putrida labes, quodammodo iam contracta.* Hinc enim non solum facilis sit putredinis propagatio, verum fluida secreta, ad primas vias deferenda, eandem quoque contrahunt labem (n. VIII.). X. *Retentae in sanguine particulae excrementitiae.* Inter has enim sunt, quae ad putredinem inclinant v. g. bilis, materia perspirabilis, vrina &c. Hinc ab earundem retentione sanguini putrida inducitur labes. XI. *Plethora diu durans, spissitudo, cacochymia alia.* Nam hinc excretiones languescunt (n. X.), oritur debilitas (n. VII.). XII. *Temperamentum cholericum (n. III.), sexus sequior* (n. VII.),

De transitu februm benignarum in malignas praesertim in &c. 21
(n. VII.), *graviditas* (n. VII. X. XI.). Qui haec rite perpendit, poterit is reliqua, quae hic forsitan adduci possent, facile huc reuocare, atque vi §. anteced. exinde concludere, haec, ad febrem benignam accedentia, eius in malignam transitum facilitare & grauiorem reddere. Neque mirandum ideo erit, quod, istis praesentibus, adeo frequenter maligna febris fiat ex benigna.

§. XIX.

Res non naturales. Animi pathemata.

Corpus humanum, hinc corpus quoque ex febre adfectum, continuis mutationibus, ab usu rerum non naturalium proficiscentibus, est expositum. Inquirendum itaque erit, an harum quoque actio putredinis febrisque malignae ortui fauere queat (§. XVI. n. II.)? Ostendi hinc debet, quod istae res omnino, nisi rite adhibeantur, dispositionem ad putredinem (§. anteced.) in corpore producant. Animi pathemata agmen ducant! Ira, terror, tristitia & moeror praecipue hic nostram merentur attentionem. Plures sunt horum animi pathematum effectus, quorum actione dispositio ad putredinem in sanguine generari potest. 1. *suppressa excretio cutanea*, quae cito a terrore, tardius a tristitia enascitur. Dispositionem hinc ad putredinem oriri posse, patet ex n. X. §. anteced. 2. *sanguinis motus nimium quantum vel auctus, vel imminutus*; auctus, ab ira, terrore; imminutus, a tristitia. Vterque fauet putredini. Hinc enim non solum noua languescens excretionis cutaneae suboritur causa (§. ant. n. X. & Path.), verum motus & calor etiam intenduntur (§. anteced. n. I.), aut deficient, solidaque debilitantur, vnde sanguificatio laeditur, eneruatur (§. anteced. n. VI. VII.). 3. *Debilitas solidorum*, quam grauis terror & ira, diutiusque durans moeror inducunt. Actionis ratio, putredini fauens, patet ex §. anteced. n. VII. Haec quidem ratione animi pathemata, quae adduxi, generatim putredinis ortui fauent. Magis vero nocebunt in cor-

pore, aliunde iam febriente. Quod enim iram & terrorem attinet: ex attenta symptomatum comparatione maximam inter haec & febrem deprehendes affinitatem, vt fuerint etiam non leuis ingenii Viri, qui statum febrilem vere sub iisdem adesse dixerint. Verum si hoc: augebunt omnino febris effectus, quibus cum adnumeranda etiam sit putredo, quod superiora fusius docuerunt, hanc etiam inde augeri debere nullum supererit dubium. Difficilius tristitia huic febris effectui fauere videtur. Minuit enim sanguinis motum, minuit calorem, & vtriusque intensum gradum variis in locis putredini amicum esse dixi. Nonne ergo tristitia, vt pote destruens adeo validas putredinis febrilis causas, efficiet, vt haec praepediatur? Longe vero aliter sese res habet. Quamuis enim, quae de tristitia adnotata sunt, recte sese habeant: ex altera tamen parte attendi debet 1. excretionem cutaneam a febre intensiorem redditam salutarem esse Naturae conamen, quibus inimicas particulas, ad concipiendam putredinem valde pronas, corpore educit. Hic vero effectus a tristitia minuitur, euanescit. 2. Putredinis satis validam causam in debilitate solidorum sitam esse (§. ant. n. X.), quam tristitia inducit. Quamuis itaque tristitia ex vna parte putredinem destruere & praepedire videatur, ex altera tamen eandem valde auget. Hinc tantum abest, vt moeror, febris benignae diu sese adiungens, sanguinis putredinem, a febre efficiendam, impediatur, vt potius augeatur. Atque nisi tristitia hunc effectum post se traheret, quomodo, quaeso, fieret, vt benignas febres in malignas, malignas in maligniores, mutet? cur nociua iudicaretur in febrim malignarum grassatione?

§. XX.

Aëris constitutio.

In aëris constitutione adeo grauis later putredinis & malignitatis causa, vt fuerint, qui, nisi omnem, maximam tamen febrium malignarum

rum

rum ex benignis ortus partem aëri inconuenienti dandam esse indicauerint. Mei non est, in hanc propositionem inquirere: Ostendisse sufficere, aërem recte iis accenseri causis, quae dispositionem ad putredinem in fluidis corporis humani producere, aut praesentem iam exacerbare possunt. Aër, qui corpora nostra ambit, non in peripheriam corporis, non in solida tantum agit, sed, latius imperium suum extendens, in fluida quoque suam exerit actionem. Neque hoc ita tantum sumi debet, ac si aër, mutando solida, mutet quoque, ob indiuisum solidorum & fluidorum nexum, fluida; verum immediatè quoque, facta eiusdem per peripheriam, nares, fauces, pulmones resorptione, aut ope saluæ deglutitione in fluida agit, eas in iis producendo mutationes, quae genio & mixtioni sui ipsius maxime sunt conuenientes. Quibus adnotatis: aëris paullulum pensitemus qualitates & constitutiones, quae ortui putredinis, in febribus praecipue, valdopere fauere possunt. Huc ergo pertinet I. *Aër valde calidus*. Multiplici hic ratione nocet. Solida relaxat, calorem motumque sanguinis auget, resolutionem illius intendit, iuuat actionem salis in oleosam sanguinis partem, causas obuolentes, diluentes destruit, languidas reddit. Confer cum his effectibus, ea, quae §. XVIII. n. I. II. VII. euicta sunt: atque facile concedes, aërem nimis calidum ortui putredinis valdopere fauere. Quanto ergo magis ei fauebit, si impetus febrilis accedat? II. *Aër, putridis particulis repletus*. Hic enim, aut resorptione, aut deglutitione ad corpus delatus, sanguinem ingreditur, dispositionem in eo ad putredinem producens (§. XVIII. n. IX.). Accedens ergo ad febrem, aut ante eam iam admissus, putredinem, a febre oriundam, eo faciliorem reddit. III. *Aër nimium frigidus*. Hinc enim excretiones serosae cutaneae supprimuntur (§. XVIII. n. X.). Quodsi verò ad febrem accedat: auget frigus febrile, excretionem salutarem, a febre comparentem, integram esse non sinit. Fiet hinc, vt dispositionem sanguinis ad putredinem, a febre contractam, augeat & intendat (§§. IV. V. VI.).

55

Relaxat

Relaxat enim solida & excretionem cutaneam supprimit (§. XVIII. n. VII. X.). Dum itaque in sanguine ad putredinem dispositionem excitat: fit inde etiam, ut transitum febris benignae in malignam faciliorem reddat (§. cit.). V. *Aër nimium siccus & grauis* supprimendo excretionem cutaneam eadem ratione nocent (§. XVIII. n. X.). VI. *Aër non renouatus*. In aëre enim non renouato exhalationes corporum accumuluntur, quae receptae, a mora magis adhuc corruptae, non poterunt non dispositionem ad putredinem humorum massae inferre. Nonne magis adhuc corpori febrienti nocebunt, cui aliunde iam contigit dispositio ad putredinem? Hinc toties in febrientium hypocaustis aëris renouatio a Practicis suadet, noxis aëris non renouati ab iisdem sedulo notatis. Quae, si rite perpendantur, atque cum mutationibus aëris continuis conferantur, ostendunt, in aëre notabilem febrium malignitatis latere causam.

§. XXI.

Ciborum ratio.

Relicto aëre pergamus ad cibos, qui iterum satis validam, incongruo admitti vsu, malignitatis, in febribus comparentis, suppeditant causam. In hac enucleanda partim copiam, partim qualitatem ciborum respicere debemus. Huc ergo pertinebit I. *Defectus ciborum*. Qui historiam Medicinae caller, non ignorabit, fuisse Medicos, Veteres inter satis celebres, qui ex febribus aegris ciborum potuumque vsu interdixerunt, falso ducti sententia, ac si hac ratione febrium impetum refrænare & cohibere possent, necessario corpori subtracto nutrimento. Dicit vero non potest, quantum exinde damnum ad corpus aegrum redundet. In sanissimo etiam homine chyli defectus putredini fauet, quod non solum ex §. XVIII. elucescit, verum quod etiam per ipsam experientiam satis est confirmatum. Quid ergo, quaeso, chyli defectus efficiet in corpore, febrili impetu exagitato, ubi & motus, & calor explicandae putredini adeo valide

de inferiunt? Nonne grauior hinc putredinis causa? Verum notum est, chyli defectum defectu ciborum induci. II. *Nimis magna ciborum copia ingurgitata, frequentius potissimum.* Optimorum etiam ciborum copia, si nimia fuerit, aut, quod idem est, si vires ventriculi & intestinorum excederit, primis hisce viis debilitatem inferre solet; stagnationem hinc, & corruptionem ciborum caussatur, qua chylus inquinatus putridus facile euadit, foecunda putredinis in reliquis fluidis causa (§. XVIII). Quodsi nunc copia illa cadat in corpus, febre laborans, eo facilius suum exeret effectum. Febris enim magis debilitat adhuc & fluida iam sua natura ad putredinem concipiendam procliuia reddit. Quae cum ita sint: facile patet, nimiam ciborum copiam, frequentius potissimum ingurgitatum, transitum febris benignae in malignam efficere posse. III. *Cibi putridi.* Chylum enim putridum reddunt (§. XVIII). IV. *Excessus in usu ciborum regni animalis.* Quum enim notum sit, corpora, ex regno animali desumpta, facillime in putredinem abire: excessus in eorundem usu chylum, hinc & sanguinem, ad putredinem disponet. Facilius hoc continget in corpore, febre iam adfecto. Etenim febris debilitat, calorem intendit, fluida corrumpit. Vnde eiusmodi etiam cibi a corpore febriente alieni iudicantur; cibi contra ea, e regno vegetabili desumpti, suadentur; saltem illorum pauciori quantitati horum satis magna adiicitur copia. V. *Cibi duriores.* Isti enim, dum ventriculo, intestinis & viscerum atque vasorum actioni valde resistunt, modo corpori necessarium nutrimentum subtrahunt, modo aequabilem fluidorum mixtionem impediunt, modo magis corpus adhuc & viscera debilia reddunt. Ex omnibus hisce nascitur dispositio ad putredinem. Confer. §. XVIII. Quodsi nunc a febre concoctio ciborum magis adhuc turbetur, prouti id fieri debet: necesse tunc est, vt prior iam euicta causa maius nanciscatur augmentum, hinc eo facilius putredinem ingeneret. Poterit ergo ab eiusmodi cibus transitus febris benignae in malignam omnino proficisci. VI. *Cibi nimium exaestuantes v. g. aromatici.* Tunc enim maior ad putredinem inducitur dispositio (§. XVIII. n. I. II. III.), maxime sub febre, in qua enormis massae sanguineae motus iam per se causam putredinis suppeditat. Constat ergo ex haecenus allatis, cibos satis grauem exhibere causam, vnde februm benignarum malignitas exoriri potest, siue nunc ante febrem, siue sub eadem spectentur.

§. XXII.

Potuum ratio.

Eadem ferme ratione (§. anteced.) sese res habet cum potuum usu. In harum etiam consideratione tam quantitatem, quam qualitatem respicere possumus. Pertinent nimirum huc I. *defectus potuum* (conf.

D

§. an-

§. anteced. n. I.). Destruitur enim in eo casu causa, quae diluitionem in massa humorum, hinc leuiorem acris actionem, producit, nimirum aqua. Vnde sales tunc eo facilius agunt. Accedit, multos potus nutritioni simul inferuire, quibus deficientibus debilitas oritur. Potulenta etiam concoctioni ciborum inferuiunt, eorumque & chyli secretioni & absorptioni, quibus languide contingentibus chylus, ob diurnam stagnationem & moram, quam in primis viis nectit, corrumpitur facileque putrescit. Hinc extra febrilem impetum defectus potuum putredini maxime fauet (§. XVIII.). Magis, respectu putredinis, hicce defectus in ipsa febre nocebit. Copia enim aquae exhalantis & dispersae maior est (§. VI.), fluida facilius putrescunt. Causae ergo in hac combinatione fortius putredinem determinant. II. *Potus exaestuantes.* Agunt enim ut cibi exaestuantes (§. anteced.). III. *Potus nimium calidi.* Non solum enim agunt, ut potus exaestuantes; verum soluunt etiam sales in primis viis massamque sanguinis iisdem obruunt; conf. §. XVIII. n. II. IV. *Potus aquosi calidi nimis magna in quantitate ingurgitati* actionem potuum calidorum (n. III.) magis adhuc intendunt. Debilitant praeterea & desruunt actionem solidorum (§. XVIII.). Qui haec iterum confert cum actione febrium, qua sibi etiam relictae putredinem inducere queunt, facile is perspiciet, incongruum potulentorum usum causam malignitatis in febribus suppeditare validam.

§. XXIII.

Excreta et retenta.

Excretorum & retentorum magna est in determinanda febrium malignitate potestas. Ut vero haec exactius constant: vitia paululum consideremus, quae circa has suboriri possunt. I. *Excretio excernendi suppressa.* Fiet tunc, ut massa excrementitia in massa sanguinis remaneat, quae causa putredinis existere potest (§. XVIII. n. X.) II. *Excretio excernendi nimis intensa.* Haec enim vires prostermit; unde causa fit putredinis (§. XVIII. n. VII.). III. *Excretio retinendi nimis intensa.* Maiori hinc in gradu oritur debilitas & dispositio ad putredinem (n. II. §. XVIII. n. VII.). Dantur hic adhuc alia excretorum & retentorum vitia, ad quae vero in hac tractatione vix attendendum erit. Quodsi autem fiat, ut haec modo enumerata excretorum & retentorum vitia febris adiungantur: necesse omnino est, ut praedicta iam ad putredinem dispositio magis augeatur atque febris benigna in malignam grauiorem transeat (§§. IV. V. VI.).

§. XXIV.

§. XXIV.

Motus et quies.

Motus corporis progressivus intermissus multiplici ratione corpori humani detrimentum adfert. Debilitat enim solida, excretiones ferofas aliasque minuit, ventriculi & intestinorum vim prostermit, chylum, sanguinem fluidaque alia corrumpit. Nullum ergo erit dubium, quin motus corporis progressivus nimis diu intermissus fluida corporis humani ad putredinem disponat (§§. XVIII. XXIII.). Accedente ergo febre benigna, haec facile commutatur in malignam. Quando contra ea motus corporis progressivus nimium intenditur, fiunt tunc nimis auctae excretiones, calor motusque sanguinis nimium quantum exacerbantur, debilitas solida afficit atque hinc fluida iterum dispositionem ad putredinem concipiunt (§§. XVIII. XXIII.). Febre tunc benigna comparente, nova suboritur putredinis causa, quae efficit, ut febris, alias benigna, transitum in malignam faciat (§§. I. IV. V. IV.). Hinc quies diiudicatur.

§. XXV.

Somnus et vigiliae.

Satis notum est ex iis, quae tam in Physiologia, quam Diabetica & Pathologia demonstrantur, quod excessus in somno & vigiliis corpori satis notabile afferant damnum. Debilitant illud adque suas actiones perficiendas ineptum reddunt. Hinc pendent mala digestio, excretiones languentes, chyli corruptio, sanguificatio laesa. Nemo ergo dubitabit, quin haec etiam vitia, eadem febre excipiente benigna, hanc in malignam magis nocivam commutent.

§. XXVI.

Vsus remediorum in febris.

Absoluta dispositionis ad putredinem incongruie rerum non naturalium vsus consideratione: vsus remediorum in febris benignis, tamquam causa malignitatis earundem, perpendendus relinquimus (§. XVI.). Facile equidem largior, hanc rem, si pro dignitate expedienda sit, vberiore, quam nunc suppeditare possum, sibi tractationem vindicare. Quam vero eandem intactam relinquere nefas foret: pauca tantum, ad subsequenda illustranda, hac de materia dicam. Ad classem vero medicamentorum & remediorum, quae transitum febris benignae in malignam perficere possunt, sequentia maxime erunt reducenda. I. *Nimium resolutiva.* Actio eiusmodi remediorum, qua malignitatem determinat, ex §. XVIII. n. II. patet. II. *exaestuantia;* conf. §. XVIII. n. I. III. *Salium quantitatem augmentia* (§. XVIII. n. III.) IV. *Sudorifera impetuosiora,* Nocent enim non solum excretionem ni-

miam intendendo (§. XXIII.), verum potentius etiam resoluunt, calorem motumque sanguinis exacerbant. V. *Deriuantia nimium a locis secretoriis maxime aptis* v. g. purgantia inconsiderate adhibita. Febris enim sua natura putredini ingenerandae maxime est accommodata, vt superiora fusius ostendunt. Vires autem corporis humani nocium hunc effectum impediunt, cum a febre excretio cutanea intenditur, qua collectae noxiae particulae iterum e corpore expelluntur, saltim imminuuntur. Quodsi nunc adeo excellens excretionem vsu incongruorum deriuantium sufflaminetur: fieri tunc aliter non potest, quin dispositio ad putredinem, a febre producta, remanere & crescere debeat, vnde facilius febris benignae in malignam deteriorem transitus continget. Patet ergo, quid de alexipharmacis, opiatis, spirituosis, vesicatoriis aliisque remediis iudicandum sit?

SECTIO II.

DE

CAVSSIS NOTABILIORIBVS TRANSITVM FEBRIVM BENIGNARVM IN MALIGNAS IN FRISIA ORIENTALI EFFICIENTIBVS.

§. XXVII.

Introitus.

Multa adhuc de iis, quae priore Sectione a me prolata sunt, dicenda essent, nisi breuitas scripti me a longiore sermone abstinere cogeret. Sufficit mihi, differuisse de generalioribus febrium malignarum ex benignis factarum caussis, quas pro fundamento ponere possum, cui nunc asserenda superstruerem. Cogitans vero, quantum generalia enodandis specialioribus inseruiunt, quantumque horum considerationem contrahant, breuitatem huius sectionis non mirabitur, vtpote ad quam solide conscribendam fere nil nisi prioribus principiis paululum applicatis opus est. Poterunt vero caussae, transitum febris benignae in malignam in patria potissimum producentes, ad aeris, ciborum, potus, constitutionem & vsum remediorum sub febribus reduci, quae singula nunc paulo exactius consideranda erunt. Quodsi dictarum rerum conditionem in Frisia orientali quoad maximam partem noscere velis: cum laude tibi commendo *Doctiss. VVEN* Dissert. inaug. de *Mali hysteric* *Symptomatum diuersitate ob regionum & vitae regiminis* etc.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Aëris ratio.

Aëris in Frisia Orientali haec est constitutio 1. frequentissime est humidus & nebulosus, 2. vaporibus ob maris vicinitatem repletus, 3. saepe eminenti in gradu frigidus, 4. ob paludosa loca, huc & illuc obuientia, putridis particulis inquinatus. Conf. D. D. VVEN cit. Diff. §. XLVII. Nunc demonstratum est in superioribus Sect. I. aërem humidum putridis particulis repletum & frigidum ingenerandae humorum putredini valdopere fauere (§. XX. n. II. III. IV.). Quare subiecta, quorum regio ita est comparata, vt talis eandem ambeat aër, putredini humorum facilius, quam alia, occumbunt. Quoniam autem in subiecto quodam transitus febris benignae in malignam eo facilius contingit, quo magis fluida eiusmodi subiecti ad putredinem prona deprehenduntur (§. XVII.): dubium non est, quin subiecta, quorum regionem descriptus aër afflat, prae ceteris transitum febrium benignarum in malignas experiantur. Quod cum cadat in nostrates: patet, hinc ipsis nasci dispositionem, quae efficit, vt, quam aliunde contraxerunt febrem benignam, facile in malignam transeat & abeat. Poteris tibi hanc rem ex alio fundamento clariorem reddere. Demonstratur Pathologorum assertis, loca maritima ad scorbuticam labem ingenerandam valde apta esse, atque id in nostra regione accidere experientia satis superque testatur. Verum non multum a febre maligna scorbuticum malum differt. Fac enim ad scorbutum accedere causam, quae acrimoniam explicat, qualis est febris (§. I. VI.): fiet tunc, vt putredinis effectus citius faciliusque contingat (§. XVIII.) et febris, licet sit benigna, vere in malignam abeat. Vnde iterum patet, quam procliuiua subiecta, in Frisia Orientalia vitam degentia, sint ad febres malignas ex febribus benignis concipiendas. Aliud incommodum ab aëre nascitur tempore hiberno. Caminis enim plerumque vtuntur, quibus fit, vt calor, hinc excitatus, inaequaliter dispergatur; quod in aegris, febrientibus praecipue, maximum saepe adferre damnnum debere, nemo non videt. Quid, quaeso, efficiet in subiectis, aliunde ad febrem malignam iam prenis?

§. XIX.

Ciborum et potus ratio.

Demonstravi in superioribus, in subiectis, quae duriora assument esculenta, potuque calido aquoso delectantur, in quibus porro oleosa sanguinis oboritur diathesis inde dispositionem ad putredinem concipere (§. XVIII. n. III. XXI. n. V. XXII. n. IV.). Ita vero tibi nostrates concipies. Delectantur lacticiniis, pinguis, farinaceis durioribus & aliis, potuque

tuque herbae theae. Nonne ergo superius demonstrata in eiusmodi subiecta quadrabunt? Accedat ergo illis febris benigna; quam facile haec commutabitur in malignam! Vides hinc nouam causam, quae in Frisia Orientali transitum februm benignarum in malignas producit, quae, priori concurrente (§. XVIII), maius nanciscitur augmentum.

§. XXX.

Alexipharmacorum sub febris vsus.

Id demum non omittendum esse arbitror, nostrates in ipsis febris alexipharmacorum abusum admittere. Verum docui §. XXVI horum remediorum vsum transitum febris benignae in malignam efficere posse. Quare nullum etiam est dubium, quin ideo quoque nostratibus iste transitus familiaris sit. Cogita praeterea, vsus potus theae immo dicum continuari sub ipsis febris, saepeque aegrum enormi strangulorum calore torqueri; quibus dispositio ad febrem malignam augetur (§§. XX. XXIX.); atque actionem alexipharmacorum, modo descripsim, & adnotatam, hinc incrementum, nullus dubitabis. Hinc etiam eo facilius iste, quem dixi, februm benignarum transitus continget.

§. XXXI.

Conclusio.

Haec, haecenus recensita, notabiliores mihi videntur causas suppeditare, e quibus adeo sollemnis inter nostrates februm benignarum in malignas transitus, explicari debet. Puerperis maxime est damnosus, utpote quae subiecta aliunde iam febris malignis facilius occumbere solent. Quantam enim stragem inter puerperas quotannis efficit purpura alba, aliis praeterea subiectis raro obueniens! Quam bene etiam recordor, in aliis quoque subiectis benignissimas febres in malignas transisse, idque facile & frequenter! Prouti vero bonae indolis Medicus eo generatim adniti debet, ut cognitionem suam in aegrorum adhibeat commodum: ita, quae haecenus disserui, vsibus practicis accommodanda sunt. Graues exinde deriuantur regulae: *in Frisia Orientali caute procedendum esse circa februm benignarum curationem; cauendum esse omni modo, ne remedia, ne medicamenta adhibeantur curationi februm malignarum nimis contradicentia; potum nimium herbae theae, quantum fieri potest, interdicendum aut emendandum esse; abstinendum esse a potentiorum sudoriferorum vsu in curandis febris; cibos, potus conuenientes eligendos esse; aërem in sanandis febris corrigi, quantum Medico datur, debere; aequalis demum tempore Liemali caloris rationem habendam esse (§§. XVIII - XXX).* Quibus peractis dissertationem

hanc finio.

PRAE-

PRAENOBILISSIMO ET PRAESTANTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S.

P R A E S E S.

Non in votis solum habuisti, CANDIDATE PRAESTANTISSIME, ut beneuola commendatione laudabile TVVM propositum, quo academium Honorum ac Priuilegiorum Doctoralium viaticum acquirere contendis, prosequar, verum etiam meum in publica Dissertationis inauguralis ventilatione expectuisti moderamen. Honesis hisce petitis deesse nolui, neque committere, ut ista TVA, docte elaborata Dissertatio prodeat, aut TV ipse a nobis discedas, sine testimonio mei, de TVA doctrina, per quatuor et quod excurrit annos in Fridei-ciana Musarum palestra acquisita, iudicii. Neque enim meas tantum, sed et reliquorum illustrium Praeceptorum frequens adisti scholas, immo primato studio audita lectaque in succum sanguinemque conuertere laborasti; quare circa aegrotorum medelam, quos frequenter inspexisti, quosque curae TVAE commisi, insignis scientiae TVAE accessit cumulus. Hanc quoque ob causam gratus Ordo Medicus TE dignum iudicauit summis in arte saluari honoribus, praesertim, cum praeter morum probitatem, qua transegisti curriculum academicum, in utroque examine TE scientiae medicae probe gnarum praestiteris. Sic laetus nunc ad votiuas accedo acclamationes. Gratulor TIBI, de successibus studiorum optatis ut et hodierno, qui felix illuxit, die, insinulque de supremis, praemii loco, legitime TIBI conferendis honoribus. Gratulor Patriae, ut et Parenti Optimo, de Medico filioque docto, Deum comprecatus, ut omnia TVA consilia et auxilia ad prosperos effectus et euentus promoueat, negotia TVA quauis benedictione comitetur atque ita dirigat, ut in sui Nominis gloriam et aegrotorum, curae TVAE commissorum, salutem et leuamen vergant, neque omnis felicitatis generibus cumulet. Vale mihi que absens in posterum faue. Dabam e Mus. d. XXII. Octobr. MDCCCLXIV.

ORIV

PRAE-

PRAESTANTISSIMO
C A N D I D A T O

S. P. D.

D. ADAMVS NIETZKI.

Laudo proboque institutum TVVM, CANDIDATE DOCTISSIME, qui nunc iam summos in arte salutari honores adepturus publicum eruditio- nis TVAE specimen edis, unde apparet, TE salutari civium TVORVM inten- tum esse. Quid enim magis gloriosum esse potest studio de patria bene me- rendi! Neque etiam alia laudis TVAE argumenta deficiunt. Per omne illud tempus, quo in hac illustri Musarum sede degisti, diligentia et morum integritate TE praeceptoribus TVIS atque amicis adeo carum acceptumque red- didisti, ut, si hoc describeretur explicatius, non sufficeret epistolae spatium. Ad vota nunc potius redibo. De Doctoris dignitate in TE ex merito pro- pediem conferenda ex animo gratulor! Similiter etiam patriae TVAE gratu- lor de Medico bonae notae, et summe venerando parenti TVO de filio tam praeclarae indolis! TV vero, PRAESTANTISSIME CANDIDATE, per- gas me amare, uti haecenus fecisti, certumque de me habeas, quod in TE amando ornandoque nemini futurus sim secundus. Vale. Dab. in Acad. Frieder. XII. ante Cal. Nouembr. A. O. R. c1o1occlxiv.

VIRO

V I R O
PRÆNOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
NICOLAO HERRMANNO ESCHERHAVSEN,
SUPREMOS IN MEDICINA HONORES
CAPESENTI

S. P.
IOANNES NICOLAUS WEISSER, OPPON.

Hactenus Hippocratis quum sis pede castra secutus
Intrepido, et morbi vincere tela queas;
Pulera TVO, CARISSIME, præmia iure capeffes,
Quæ labor et virtus promerere TVA.
Namque TVOS vidit sublimi ex sede labores
Sancta chori nostri fida magistra Dea
Hygeia eximios, quibus didicisse lubebat,
Quæ certo miseris auxilio esse precor,
Et plausit visis. Hinc laurum nectere iussit
Paeoniam circum tempora digna TVA.
Accipe concessos TIBI, nil remoratur, honores,
Insignes titulos, purpureumque decus.
Perge TVAM famam medicis extendere factis
Omnibus ægrotis atque salutiferis.
Progredere in laudis, quam ingressus es omine fausto,
SVAVIS AMICE, via. Perge fauere mihi.

Dab. in alma Friedericiana X. Calendar. Nouembris c1o1occlxiv.

E

VIRO

V I R O
PRAENOBILISSIMO AC PRAESTANTISSIMO
C A N D I D A T O
HONORVM MEDICINALIVM DIGNISSIMO

S. D.

OTTO FRIDERICVS SPROEGEL, OPPON.

Eruditio, ingenii acumen, TVI, VIR PRAENOBILISSIME! optima
indolis mores locupletissimam ad scribendam mihi praebere materiam
hac occasione: egregiis TE laudibus longe lateque ornarem, qui non exiguas
consecutus es, flores, sed TVAM moderationem non ignorans hoc suscipere ne-
queo. Laederem amicum, offenderem amicitiam, si has narrarem et omnes vide-
rer excedere litterarum limites. Per varios annos in medica arte laborasti
assiduus, didicisti scientiam non solito, sed singulari modo et TIBI dignissimo.
Tota igitur mente ingenium non latuisse TVVM mihi TIBIQUE gratulor, gra-
tulator Patriae familiae et medicae arti praestantissimum ciuem, membrum atque
socium; congratulantur aegri de solertissimo ac sapienti suarum calamitatum
adiutore. Sed taceo, non plura ponere possum, nec ego ad elogium celebra-
ndum TVVM capax sum atque dignus. Vne bene, semperque beate, DOCTIS-
SIME CANDIDATE, valeas oportet, si comportatis TVIS in salutari arte
viri velis, maxime virtute, maxime gloria, maxime eruditione, sed mihi quoque faue
et ama. Dab. Halae die XXII. Octobris MDCCCLXIV.

VIRO

V I R O
PRAENOBILISSIMO EXIMIEQVE DOCTO,
NICOLAO HERRMAMNO ESCHERHAVSEN,
CANDIDATO DIGNISSIMO

S. P. D.

I. M. MACKEPRANG,

HOLSATO - DANVS.

MED. ST. OPPON.

Ex quo, *vir praestantissime, in consuetudinem TVAM venire mihi licuit; nunquam in maxima felicitatis meae parte non posui TE mihi amicum fuisse. TE dico, virum non solum ob animi integritatem, sed etiam ob morum suavitatem mihi dilectissimum. Quid igitur gratius, quid acceptius mihi accidere potuit, quam quod mihi TVAE praeclaræ eruditionis et nunc testem, et in posterum esse praeconem concessum sit? Quid vero etiam dulcius occasione, quam magnus, quem nunc vivis, dies mihi praebet, optatissima, TE de meo singulari amore certiozem faciendi? Gratulor igitur et ex intimo animi mei gratulor, non solum TIBI, qui nunc primitias lucubrationum tuarum capis, sed etiam mihi, cui licuerit tali viro familiariter uti. Quod reliquum est, me amare, quaeso pergas. Ego quidem incredibilem amorem, et omnia illa officia, quae ab amico expectari possunt, TIBI semper debebo. Vale. Dab. in Reg. Frid. Die XXII Octobr. MDCCLXIV.*

PRAE.

PRAENOBILISSIMO ATQVE PRAESTANTISSIMO
DOMINO CANDIDATO
AMICO AESTVMATISSIMO
MARTINVS AMADEVS FRONIVS.

CORONA TRANSYLVANVS

S. P. D.

Ingratus omnino, meoque nomine indignus essem, PRAESTANTISSIME
DN. CANDIDATE, AMICE AESTVMATISSIME, si tanta, & tam lae-
ta occasione, sordido occupatus otio, nihil excuderem, quod insuatae, qua semper
sum erga TE ductus, amicitiae esset monumentum. Accipe ergo litteras, sed tenui
exaratas stylo. Est mihi scripturae genus leue, neque altis vnquam, vt magna
cateruo eruditorum Iuuenium, incedere soleo cothurnis. Haec TIBI mollis in-
genii, mitisque tessera, hoc inquam, grati Animi signum, totum, quantus
quantus est animi adfectum, declarabunt accuratius. Has Amice suauissime,
ornatissime CANDIDATE, Litteras Testes TIBI velut Amoris erga TE
mei, Piaeque mentis commendatum eo. Sed longum est repetere haec, quae sunt
manifesta. Quid nunc agam? Et Gaudium, & Luctus, me torquent. Lau-
rea, dignum illud Phoebii Adolescentis Praemium, mox tempora ornabit. Sed
abis, Dulcissimi TE expectant Penates, nobis sancte colendi. Haec certe di-
gnam Luctus praebent Ansam. Gaudeo tamen magis, & gratulor,
& si quanto vnquam nunc maxime, quod laudibus pariter, atque honoribus,
summis potissimum Doctoralibus, redibis diteor. Id iam maxime opto precor-
que, vt intra illa Pomoerea, quae semper erunt TVA, vterius procedas, at-
que in decus, ac ornamentum artis, & familiae TVAE, in Nestoreos annos
vivas felix faustusque. Quod superest, TE, CANDIDATE PRAENOBILIS-
SIME, AMICE AESTVMATISSIME, honestissime peto, vt mei sis memor,
meque TIBI habeas commendatum. Vale. Dabam Halae ad Saram, Die
XXII. Mensis Octobris A. P. R. S. MDCCLXIV.



Ua 4235

ULB Halle

3

001 500 996



sb







10

DE

TRANSITV FEBRIVM BENIGNARVM IN MALIGNAS PRAESERTIM IN FRISIA ORIENTALI

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV

IN REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

DOMINO

D. PHILIPPO ADOLPHO BOEHMERO

MED. ANAT. ET CHIRVRG. P. P. ORDINAR.

FACVLTATIS MEDICAE H. T. DECANO SPECTATISSIMO, ACADEM. CAESAR. NAT.
CVRIOS. ITEMQVE IMPERIAL. PETROPOL. NEC NON BEROL. SCIENT. ET PARIS.
CHIRVRGOR. SODALI,

PRO

G R A D V D O C T O R I S

SOLLEMNITER CONSEVENDO

DIE XXIII. OCTOBRIS MDCCCLXIV.

H. L. Q. S.

PVBLICE DISPVTABIT

AVCTOR

NICOLAVS HERMANNVS ESCHERHAVSEN

FRISO-ORIENTALIS.

HALAE AD SALAM AERE BEKERIAND.